



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum sortilegij grauißimum est & hæresi simile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

pater: & rationalis homo dignitate sibi rationi adi-
 mit sic providendo reipublicæ de rectoribus. Secus
 autem si admissis tantum idoneis, sortibus officia cõ-
 mittantur ne pax turbetur. Quando autem sortium
 illicitus vsus mortale peccatum est, ex admixtis con-
 trariis ad religionem & iustitiam accipiendum est.
 Diuinatoria enim ideò mortalis est, quia contra reli-
 gionem est. Diuinatoria verò, si contra iustitiã, in præ-
 iudicium, s. proximi vel communis boni est, morta-
 lis est. Consultoria quoque si altero dictorum crimi-
 nũ polluitur, mortalis est. Verũ aduerte non omne
 irreuerentiã esse mortale. Ex hoc enim quòd Euan-
 gelia, ad secularia negotia consuluntur, non incurri-
 tur mortale: quia non contra diuinam est hoc reue-
 rentiam: sed quia præter eam videtur, ideo Augusti-
 no displicet. Posset tamen (vt puto) tali fide & reue-
 rentia ac necessitate fieri, vt nullum esset in hoc pec-
 catum. Ex materia quoque electionum spiritualium
 ministrorum si inhibitiõ positum iuris secludatur,
 non video peccatum aliquod si sortibus committe-
 retur super aliquos prælectos æquè idoneos, vt factũ
 est in electione Apostoli Matthæi. Et breuiter quia
 vt sortibus non est ex suo genere malum, ex admi-
 xta irreligiositate, aut iniustitia, aut imprudentia vel
 econuerso ex admixta religione, prudentia, & pace
 iudicandum est.

*Peccatum sortilegij grauissimum est &
 hæresi simile.*

Sortilegium (quo explicitè vel implicitè ad dæ-
 monis auxilium seu consilium sorte recurritur)
 peccatum mortale est ad superstitionem spectans: vt
 quum quis per sortes inquirat quis fecerit furtum aut
 aliquid huiusmodi ad dirinationem pertinens: & simile
 est si forte queratur quid agendum. Sortilegij enim
 crimen

erimen, & diuinatoriam & consultatoriam fortem comprehendit quum ad dæmonem recurritur non solum explicitè, sed etiam implicitè : vt contingit inquirentibus per sortes occulta, & vniuersaliter ea quæ à sola intellectuali natura sciri aut fieri possunt. Ex eo enim quod non quærunt à Deo, nec à natura, nec à fortuna hoc expetunt, coguntur velint nolint dari quod ad dæmonem recurrunt, implicitè quidem, dum ad sortes vt ad institutas ad hunc effectum recurrunt, explicitè autem sicut in alijs diuinationibus & incantationibus contingit.

*Spectaculum diuersis modis & causis
prohibetur.*

Spectacula impudica, crudelia aut irreligiosa, absque peccato non fiunt. Et si notabiliter admixtum horum aliquid habeant, mortale peccatum sine dubio incurritur à facientibus & præcipientibus illa. Spectantes autem si delectantur huiusmodi malis, proculdubio peccant mortaliter : delectio enim de peccato mortali peccatū est mortale. Si autem præter opinionem occurrit hæc spectare quæ non placent, quilibet de seipso rationem reddat, quare non recessit: & communiter videtur veniale in huiusmodi casu, seclusa ratione scandali.

Sponsalitia tripliciter possunt esse vitiosa.

Sponsorum per verba de futuro, peccata triplicia sunt. Primo, in ipso contractu sponsalium. Et tunc peccatur, aut quia fictè contrahuntur, s. intentione non contrahendi sponsalitia, seu non seruandi fidem : & est peccatum mortale perniciosi mendacii. Aut quia clandestinè fiunt: & videtur etiam peccatum mortale: sicut de contractu matrimonii dictum est: quamuis minus graue quàm contractus clandestinus matrimonii. Aut quia poena apponitur quasi
poena